



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CLXXVII. Der Bischof Johann verleiht dem Domcapitel das Patronatsrecht über die Petri-Capelle, am 27. April 1320.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

**CLXXVI.** Der Herzog Rudolph von Sachsen nimmt das Bisthum Brandenburg in seinen besondern Schutz, am 24. Novbr. 1319.

Nos Rudolphus, dei gratia dux Saxonie etc. tenore preientium recognoscimus et ad universorum notitiam cupimus pervenire, publice protestando, quod de maturo nostrorum discretorum consilio ac diligenti deliberatione superhabita, cum venerabili in Christo domino Johanne, episcopo Brandenburgensi, nostro compatre charissimo, tractavimus amice placitando, quod ipsum dominum episcopum ac omnia bona sua atque bona universa ad ejusdem ecclesie episcopatum pertinentia, in nostram recepimus protectionem et tutelam. Volumus enim bona intentione et non ficta pariter et debemus eidem episcopo Brandenburgensi contra quemlibet seu quoslibet, ipsum atque suam ecclesiam predictam infestare ac invadere volentem vel volentes, quoad jus seculare et spirituale cum totis nostris viribus ratione confederationis mutue facere ac prestare subsidium et juvamen. In omnium premisorum evidentiam etc. Testes harum rerum sunt Fridericus, Albertus, Gevehardus, Henricus, dicti de Alvensleve, Johannes de Glindenberch, Loserus, Henricus de Rochow, Offe de Zliwen, Rube de Drifule, milites, Thidericus noster prothonotarius et quam plures alii fide digni. Datum Sandow, sub annis domini M. CCC. XIX. in vigilia Catharine virginis et martyris.

*Nach einer Copie im ältern Copialbuche.*

**CLXXVII.** Der Bischof Johann verleiht dem Domcapitel das Patronatsrecht über die Petri-Capelle, am 27. April 1320.

In nomine domini. Amen. Actiones, quas mundes ordinat, sepe delet successus temporum, nisi muniantur firmo caractere literarum. Nos Johannes, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus, notum esse cupimus universis Christi fidelibus etc. quod honorabilibus viris, domino Johanni preposito, priori totique capitulo ecclesie Brandenburgensis dedimus et per presentes litteras liberaliter et propter dominum donamus jus patronatus capelle sancti Petri, site in urbe Brandenburgensi ante ecclesiam nostram cathedralem perpetuo possidendum sub ea tamen determinationis forma, ut Thidericus de Dalchow, dicte nostre ecclesie canonicus, qui nunc dictam capellam a nobis tenet, ipsam absque stipendii sui dispendio, quoad vixerit, a nobis teneat, post obitum autem ipsius predictus Brandenburgensis ecclesie prepositus suo et ecclesie sue nomine predictam capellam sancti Petri officari per suum custodem faciat seu ecclesie et debebit, cui custodie dictam capellam cum universis redditibus et proventibus suis de consensu nostri capituli duximus annexandam, statuentes, ut de uno talento reddituum dicte capelle pro commemoratione nostra ita duntaxat, dum conditor omnium etiam nostram animam de presenti corpore migrare disposuerit, canonicis nostre ecclesie in anniversario nostro annis singulis servitium per rectorem antedicte capelle, qui pro tempore fuerit, ministretur, ut memoria nostra in vigiliis dicendis et missis celebrandis eo solennius peragatur, renunciantes ergo in presenti litera juri patronatus predictae capelle simpliciter pro nobis exnunc et imperpetuum et pro nostris successoribus, quod in dicta capella hactenus dinoscimur habuisse aut possit competere in futurum. Et ne super hujusmodi nostra donatione etc. Testes autem hujus facti sunt: dominus Johannes Gruelhut, canonicus ecclesie Magdeb., dominus Christianus, plebanus nove civitatis Brandenburgensis, Thidericus, canonici nostre ecclesie Brandenburgensis, nec non dominus Gotzwi-

nus, noster capellanus, dominus Hinricus Wopac, dominus Hardegen nec non dominus Henningus de Vorlande, milites, et quam plures alii fide digni. Datum Brandenburg anno domini M. CCC. XX. V. Kal. Maji.

Nach einer Copie im Copialbuche.

**CLXXVIII.** Der Bischof Johann verkauft die beiden Dörfer Tielow und Saringen an das Domcapitel, am 27. April 1320.

In nomine domini. Amen. Johannes, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus, universis etc. salutem in domino sempiternam. Stili cavetur officio, ne vel volubilitate temporum vel quorumlibet hominum malitiosa mutabilitate rationabilium factorum immutati opocuretur. — Hinc est, quod tenore presentium publice recognoscimus protestantes, quod nos pro solvendis debitis per predecessorum nostrum, dominum Fredericum, episcopum Brandenburgensem et per nos contractis pro necessitate et evidenti utilitate ecclesie nostre, vendidimus dilecto nostro Johanni preposito Brandenburgensis ecclesie ad manus capituli et conventus sui duas villas Slavicas, videlicet Sarringe sitam prope novam civitatem Brandenburg et Thikowe, sitam juxta Pritzerwe ad mensam episcopalem nostram pertinentes, cum omnibus juribus et pertinentiis suis pro ducentis marcis Stendaliensis argenti, nobis integraliter jam solutis in pecunia numerata, ad satisfactionem et solutionem hujusmodi debitorum, mittentes eundem prepositum nomine conventus et capituli sui in possessionem corporalem dictarum villarum, et in hiis scriptis omnia jura in ipsum transferentes, que nos hactenus habuimus in eisdem villis et que nostri predecessores a multis retroactis temporibus habuerunt. Dimisimus etiam domino preposito et capitulo suo seu suis successoribus sollempni stipulatione, quod nichil debeamus petere seu exigere de predictis villis in futurum. Testes autem qui presentes fuerunt huic venditioni et donationi sunt: dominus Johannes Gruwelhot, canonicus ecclesie Magdeburg., dominus Cristianus, plebanus nove civitatis Brandenburgensis, Thidericus de Dalchowe, canonici nostre ecclesie Brandenburgensis nec non dominus Goswinus, noster capellanus, magister Johannes de Barby, clerici, dominus Hinricus Wopach, dominus Herdeghen de Bardeleve, nec non dominus Henningus de Vorlande, milites, et quam plures alii fide digni. Ut igitur nostra venditio etc. Datum Brandenburg, anno domini millesimo trecentesimo vigesimo, quinto kalendas Maji.

Nach dem Originale

**CLXXIX.** Der Bischof Johann verkauft dem Capitel einen Theil des Havelflusses, am 27. April 1320.

Nos Johannes, dei gratia episcopus ecclesie Brandenburgensis, universis et singulis facimus notum per hec scripta, quod propter predecessorum nostrorum gravia debitorum onera, provida deliberatione prehabita, vendidimus et tradidimus preposito capitulo et ecclesie nostre prefate superio-